



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Diffic. III. Colliguntur quædam de summo Pontifice.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

acceptationem Papæ id non convincit. Ratio quia etiam illa Matrimonia patiebatur, non probabat Ecclesia.

NOTO. Hæc major est de fide. Quem Deus revelavit esse legitimè electum ille est verus Papa. Tota difficultas in Minori est. Sed hunc Deus revelavit esse legitimè electum, cuius Minoris revelatio, est revelatio in illa universali. Legitimè electus est verus Papa; adeoque & hic, & ille, & ille. Solum ergo debet fieri applicatio per motiva credibilitatis, quod id etiam Deus de hoc Pontifice revelavit. Ut hæc Minor credatur non sunt necessaria maiora motiva credibilitatis, quam ad credendum ad alios articulos. Porro ad alios articulos, vix non principale motivum est, consensus tot Doctorum, & Sanctorum, toto orbe sparsorum, & innitentia Divinæ providentiæ, quæ non sit passura, ut non sit collectio hominum, rectè de Deo sentientium, & veritates ad se directas percipientium. Est autem consensus Doctorum & Sanctorum, acceptantium illum pro Pontifice, pertinet quæ ad providentiæ Divinam, non permittere ut in re tanti momenti Catholica Ecclesia erret. Ut autem tota Ecclesia hoc acceptet, præsupponitur propositio illius facta à Cardinalibus Electoribus, & reliquæ circumstantiæ.

DIFFICULTAS III.

Colliguntur quedam de summo Pontifice.

COLLIGO PRIMÒ. De connexionione Papatus & Episcopatus Romani. Sunt Catholici Doctores, qui docent non esse hanc conjunctionem inseparabilem, posseque alium esse Papam, alium Episcopum Romanum; ita Aliacen: Sotus in 4. dist. 24. quæst. 2. art. ult. Bannez 2da 2da, quæst. prima. art. 10. in Comment. fusiori dub. 4. Palud. Armachanus, idem Driedo lib. 4. cap. 3. par. 3. Eccles. dogmatibus. Ratio: quia neque Scriptura, neque Traditio habet, Sedem Apostolicam ita affixam Romæ. Oppositum sentit communis sententia cum Suar. Valent. Amico. Bellarm. Ratio, quia nisi esset ex mente Christi hæc conjunctio, indubiè tanto tempore interrupta fuisset, ob oppressiones Romæ & Ethnicis; ob devastationes Gothicas. Regulorum Italiæ dominatum. Septuaginta annorum Avenione commorationem. Hinc Marcellus Papa Martyr. in epist. ad Antiochen, testatur ex iussu Domini transulisse S. Petrum Sedem Romam. Ambros. item, Orat. de reddendis Basilicis. Leo Sermon. 1. de Natali Apost. Trophæum inquit *Cru- cis Romanis Arcibus inferebās, quo te Divinis præordinationibus anteibat, & honor potestatis, & gloria passionis*; hæc ex Bellarm. An autem id sit de fide, non est ita certum. Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 12. Sententiam asserentem hoc esse de jure Divino solum appellat non im-

probabilem. Amicus docet, non esse hoc quidem de fide, esse tamen probabilius: quia congruebat, ut sicut est certa persona, ad quam fideles, in controversiis recurrant, ita sit stabilis sedes, ubi inveniri constanter possit.

COLLIGO SECUNDÒ. Quo jure Primatus in Papatu sit inductus: Occam in Dial. part. 1. l. 1. c. 13. & 23. id ex hominum institutione introductum. Idem docuit Marfil. de Padua. Alii dixerunt introductum id à Nicæno, hocque fatentur in epist. Melchiad. Papa ad Episcopos Hispan. Damas. ad Prosperum, Sotus ad Episc. African. cujus Verba in Concil. Carthag. 6. habentur. Julius ad Orientales. Idem senserunt Africani PP. in Carthag. 6. Idem indicat Chalced. Actio. ne 6. Romanum 4. tub Symmacho. Hanc sententiam appellat hæreticam Suar. Ratio quia plerisque aliis Canonibus affirmat Nicænum veterem esse consuetudinem ut Episcopus Romanus primatum habeat. Ergo primatus huic consensus potius Nicænum, quam illum constituit. Alii primatum hunc non à Christo sed à Petro & Apostolis mansisse dicunt. Unde etiam vocatur, Petri Vicarius; ita docet Julius 1. Ep. Anacleus epist. 2. affirmat, Apostolos voluisse Petrum habere primatum, sed hæc accipi possunt de voluntate consentiente inquit Suar. non constituyente. Nam idem Anacleus epist. 2. expresse negat ab Apostolis hunc primatum acceptum. Unde ergo acceptus? Ex commissione Christi indicata illis verbis. Pasce oves meas: Super te ædificabo, &c.

COLLIGO TERTIÒ. De electione in Papam ejus designatione ac renunciatione.

Quod attinet ad electionem. Non nisi de jure positivo est, quod soli Cardinales eligant Papam, in Suar. Amicus contra Cajet. & Bellarm. Ratio quia secluso jure positivo, non est cur ad illos solos restringatur, cum simpliciter in quacunque Republica pertineat ad Majores, Caput sibi eligere: quem ordinem non exstat ullum jus Divinum, quod voluerit Deus mutari in Republica Ecclesiastica. Et licet in aliis Ecclesiis mortuo Episcopo electio spectet non nisi ad Clerum illius Episcopatus, non spectabit tamen electio Papæ de jure Divino ad solos Cardinales, quia ille est Pastor universalis; hinc electio illius per se, non est necesse ut ita restringatur. Expedit tamen id Ecclesiæ, vel ob ipsam notitiam eligendi, statumque Ecclesiæ, & necessitates magis notas Cardinalibus, quam aliis commoditatem item citius subrogandi successoris, præscindendumque turbas. Ad hanc electionem non spectat populus per se, quia ad illos de jure natura spectat electio, qui præsumuntur competenter posse judicare, de qualitatibus eligendi, hic autem est status Ecclesiasticus: per accidens tamen id fieri potest, ut si adificetur populus tanquam testimonium daturus, de vita & integritate eligendi, imò defacto id practi-

eatum est, & supponitur ex cap. in Syn. d. 63.

Quod attinet ad designationem. Posse Papam casu, quod id non vergat in damnum Ecclesiae, & casu quo non conferatur Papatus tanquam hæreditas, posse inquam designare sibi successorem. docet Arr. Amicus. Ratio quia S. Petrus, censetur Successorem sibi elegisse Clemen-tem, ut ipse Clemens testatur epist. 1. ad Jacobum initio; & habetur cap. si Petrus d. 8. q. 1. licet Clemens resignavit huic designationi, sed itaque non nisi post Clerum. docetque Suar. d. 10. S. 4. quod Linus & Clemens designarint sibi successorem. Deinde potest esse in hoc magnum Ecclesiae bonum, ut si prævideatur post mortem electio futura, cum multis difficultatibus. Et certe poterat Christus talem potestatem Vicario suo contulisse; quodque contulerit exempla ostendunt. Et cum alii Episcopi ex concessione Papæ possint sibi successorem deligere, cur non Papa? Oppositum sentit Cajet. Bellarm. Turrianus.

Quod attinet ad Renuntiationem. Potest Papa renuntiare Papatu; quia Cælestinus Papa defacto renuntiavit; nec erit tunc necessarius consensus Ecclesiae ut vult Suar. & Amicus; sed oppositum sentit Bellarm.

Colligo Quartò. De fide ipsius personæ quæ est Papa. Papam posse esse Hæreticum affirmat Bannez, Cajet. Driedo, Canus. Soto. Corduba Aragon. Valent. Ratio; quia de Victore V. tradit. Euseb. fuisse hæreticum Marcellinus thus obtulit, Liberium fuisse hæreticum docuit Hieron. Anastasium fuisse hæreticum alii, Honorium censet pro hæretico Adrianus in epist. relecta in Synodo 8. & in Epist. Agath. relata in 6. Synodo. Oppositum sentiunt Pighius, Turrecrm. & alii, docentes illos interius in Hæresim non consensisse, sicut nec S. Petrum, aliqui perdidisset fidem S. Petrus contra dictum Christi; Ego rogavi, &c. ut non deficiat fides tua. Addit Palao. de fide tr. 4. disp. 1. part. 5. S. 2. n. 7. Non esse dubitandum illos in hæresim incidere potuisse. Ratio: quia Concilia illa generalia accusationem de hæresi Paparum omnino explosissent, utpote de personis, quibus impossibile sit esse hæreticos; Quod autem Papa factus Hæreticus, manet Papa; docet Bannez Valent. Soto. Cano. Corduba. Ratio: quia de nullo Pontifice possemus esse certi, esse illum verum Pontificem, & aptum ad proponendos articulos fidei; cum de nullo certificari possumus, quod non amiserit fidem.

Colligo Quintò. Quoad ea quæ decernit Papa.

Circa res gestas vel ex malitia vel ex ignorantia potest errare Papa, v. g. damnando innocentem, ita omnes. Ratio quia tunc non agit ut Pontifex, sed ut Iudex.

Non potest tamen statuere aliquid à fidelibus

observandum quod malum sit. Ratio quia de fide est successorem Petri non posse errare in pascendis ovibus, erraret autem tunc. Posse tamen errare in lege uni Provinciæ lata docuerunt aliqui. Ratio: quia tunc munus universalis Pontificis non videtur gerere. Oppositum sentit Palao cum aliis: quia si respectu totius Ecclesiae errare non potest, nec respectu particularis errare poterit, cum etiam respectu illius particularis, regimen sit illi commissum.

Potestne errare in Canonizatione SS.? Posset errare videtur sentire S. Th. quæst. 9. ar. ult. D. Anton. Cajet. Cano. Bann. asserunt tamen id ita esse certum, ut sit hæresim sapiens, si dicatur in hoc Papam errare posse. Ratio: quia Canonizatio SS. est ex testimonio humano quod falli potest. Sed quod in Canonizatione SS. non possit errare Papa, & quod hoc dicere sit hæreticum ponit Valent. & Palao. Ratio: quia obligaret ad credendum falso, nempe quod hic sit in cælo, qui non est.

Alii dicunt. Non posse errare Papam in Canonizatione, posse, in Beatificatione; quia in Beatificatione non proponitur quidquam universali Ecclesiae. Beatificatio enim proponit non nisi particulari Ecclesiae credendum. Oppositum sentit. Palao. Ratio: quia in Beatificatione, conceditur usus Missæ, per quod ipsum toti Ecclesiae colendus proponitur: quia Missa sit nomine totius Ecclesiae; docuit tamen Torrez quod concessio cultu v. g. B. Aloyfi Nostri, non sit licitum secularibus eundem colere. Rationem dat: quia nullus debet coli cultu publico, sine auctoritate Ecclesiae, quæ non est ut hic Beatus ab omnibus colatur. Oppositum sentit. Palao. Ratio: quia una Missa, est ejusdem valoris ac plures, & in uno ac alio loco. Ergo declarando, quod possit in honorem hujus B. dici Missa, una, declaratur posse dici omnes. Unde etiam potest populus vel Clerus supplicationem, vel processionem instituere ad aliquem Beatum; ita Palao, ex Juristis Balno, Occa. Sarmiento, Bonilla. Ex Augustinianis Basilius de Leon. Rodrig. Dominquez. Ex familia Cisterciens. Manrique, Perez. Bernard. Ex Benedictin. Salazar, Serna; Ex Franciscan. Guevara Villalear. Tajardo. Ex Nostri Monte Major. Prado, Timontel. Roy. Martin. Palao.

Quoad approbationem religionis. Non posse Pontificem errare in approbando aliqua religione, de fide est: approbando scilicet in illa, quæ aliàs difformia sunt Evangelio: hoc ipso enim doceret aliquid falsum, approbando contrarium Evangelio: quod autem errare possit secundum leges prudentiæ, hoc est approbando id, quod nimis laxum, vel nimis durum est, docuit Bann. Rationem dat. quia Innocent. III. & Greg. X. ordinant, ne novæ religiones instituantur: ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesia confusionem inducat; Ergo si de-

(p)

facto

facto illam approbet, rem inconvenientem faciet, cui sententiæ favet Palao.

COLLIGO Sexto. De approbatione Conciliorum à Papa. Non potest Papa Concilio delegare potestatem definiendi infallibiliter res fidei: quia hæc definitio est alligata Petro & successoribus, titulo assistentiæ Spiritus S. illis, & non aliis, promissæ; ita Turrecrem. Bann. Cano. Valent. Erit tamen infallibilis auctoritatis quodlibet Concilium, si à Papa approbetur. Ratio: quia Romanus Pontifex, est suprema & infallibilis regula veritatis. Ergo ubi ejus confirmatio accesserit, error committi non potest. Ante hanc approbationem generale Concilium, quod infallibile non sit, docet communis cum Bann. Valent. Palao. Ratio: Non nisi Petro & ejus successoribus promissa est infallibilis assistentia Spiritus S. Concilium autem generale non est successor Petri. Et licet universalis Ecclesia ut inquit, Palao, etiam ut distincta à Pontifice errare non possit, aut universi Doct. sed id non ex eo est, quasi ipsi sint regula veritatis, & quod illis immediate assistat Spiritus S., sed quia hoc pertinet ad specialem Dei providentiam, qui immediate assistit Pontifici, ne DD. omnes, quorum consilio utitur in controversiis, deficiant. Circa hanc quæstionem. An Concilium sit supra Pontificem vide tom. 2. c. 12. lib. 2. c. 13. Bellarminum.

COLLIGO Septimò. An Papa sine Concilio generali possit definire articulum fidei? Verba Bellarm. sunt de Rom. Pontifice lib. 4. c. 2. Pontificem etiam ut Pontificem posse esse hæreticum, & docere hæresim, si absque generali Concilio definiat, & defacto aliquando accidisse: hanc opinionem secuti sunt aliquot Parisienses; ut Gerson. Almainus in lib. de potest. Eccles. nec non Alphonsus de Castro lib. 1. c. 2. contra hæres. & Adrianus VI. Papa in quæstione de Confirm. Papæ. Suar. d. 5. de fide, S. 8. n. 2. hanc quæstionem tractans testatur, quod in hoc etiam aliqui Catholici dubii sunt. Pro hac sententia recitat Chamirus de Concil. lib. 3. c. 10. n. 13. Cardin. Cameracensem & Panormit. Ratio posset esse; quia credibile est Christum dedisse potestatem Papæ definiendi arti-

culos fidei, sed cum conditione, ut quam prudentissimè operetur, prudentissimè autem operabitur, ex Concilii generalis consilio. Cui autem quo aliquid definiat, sine Concilio generali, de hoc sic enunciat, ex communi omnium Catholicorum sensu Bellarm. Pontificem solum, vel cum suo particulari Concilio aliquid in re dubia statuentem, sive errare possit, sive non, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum. Ceterum opposita sententia communior longè & tutior Catholicorum est. Papam scilicet sine Concilio generali articulum fidei definire posse. Suar. cit. putat esse rem de fide certam. Bellarm. dicit oppositam sententiam non esse propriè hæreticam; nam adhuc videmus ab Ecclesia tollerari, qui illam sententiam sequuntur. Ratio ex Bellarm. est, quia non Apostolorum cœtu dictum, sed Petro Luc. 22. Rogavi pro te ut non deficiat fides tua; ubi Lytæ, tua, supponit non pro communitate. Lytæ item *Confirma fratres tuos*, non potest intelligi de tota Ecclesia; quia extra illam nulli sunt fratres. Suar. hanc rationem dat: quia Concilia generalia à Pontificibus approbata, hanc in Pontifice auctoritatem recognoscunt, Viennense in Clement. unica de Sum. Trinit. Florent. Sess. 26. in fine Lateranense sub Leone X. &c. defactoque ita jam habuit praxis. Nam hæresis Pelagiana non nisi Concilio particulari Palæst. Milevit. & Arausicano damnata. Bajus item & Janfenius sine Concilio damnati. Nec expediebat universali bono Ecclesiæ, hanc potestatem definiendi articulos collatam Papæ alligari ad Concilium; quia illud interdum convocare est impossibile: potest item instare necessitas dammandi hinc & nunc aliquam hæresim. Media via alii gradiuntur, dicuntque Papam cum solo Concilio æquivalenti, quales sunt plures Doctores & Academiæ consultæ, posse declarare & definire, quod hoc sit articulus fidei, si res jam in ante æquivalenter fuerit prædefinita in aliquo Concilio generali negando eandem potestatem, si de re nullo modo prædefinita in ante, statuendum sit. Sed in hærendum sententiæ Suar. & Bellarm.